ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 132r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



hoc quidem dicebat antiquis; Sed et hodie si moyses et aaron
id est propheticus et sacerdotalis sermo animam sollicitet ad ser
uitium dei. Inuitet eam exire de seculo renuntiare omnibus
quae possidet. operam dare diuinae legi et sequi uerbum dei.
Continuo audies dici ab his qui pharaoni unanimes et amicis;
Uide et quomodo secundum homines et peruertuntur. quales adules
centes nelaborent nemilitant nec agant aliquid quod eis
prosit possit. relictis rebus necessariis et utilibus ineptias sectantur.
et otium; Quid est seruire deo. laborare nolunt. et in estis otii
occasiones requirunt; haec erant tunc uerba pharaonis. haec
et nunc amici eius et familiares locuntur. non solum uerbis res
agitur. sequuntur et uerbera. Flagellari iubet scribas he
braeorum. paleas nondum opus exigi. haec pertulerunt
patres. ad quorum figuram saepe et iam populus dei. qui est in ecclesia
patitur; Inuenies enim si consideres eos qui se ex integro
principi huius mundi tradiderint prosperis successibus agere.
omnia eis ut ipsi putant feliciter euenire. Seruis autem dei
saepe ne haec quidem humani uictus humilia et parua succedere.
Istas enim puto uideri paleas quae a pharaone ministrantur;
Fit ergo saepe ut dum timentes uili hoc est et iam et paleis simili indi
gentes uictu. saepe et iam persecutiones sustinent. tyrannorum
perferunt cruciatus et seua tormenta. Hoc ut fatigati non nulli
dicant ad pharaonem; ut quid tu ad fligis populum tuum. superati
namque uerberibus non nulli a fide decedunt. et confitentur